

breves vel Adparatus potius homileticus in plurima *Epistolarum Paulinarum* loca, quorum initium est ab illo *Rom. 13. Hora est jam nos de somno surgere*, ubi sic orditur Orator: *Hoc tempus dicitur tempus aduentus. quia cantus ecclesie sunt de aduentu.* &c. Noli tamen credere, Autorem temporis ecclesiastici filium sequi. Ad finem aliquorum Sermonum remittit ad *Tractatum de pace et gweris*, item *de commendatione gratie et de Auaritia*. Quinam hi Tractatus, et an Autoris proprii?

Ad Codicem compingendum adhibitae sunt Partes cujusdam Catalogi Bibliothecae per *Bankos* Seculo XV. descriptae nihil notabile continentis, et Membrana mutila data *Pragae 1401. in Kaczano*, qua jubentur cuidam *M. Nicolao* in *Ecclesia Nysensi* (Silesiae) Capellam administranti persolvi Decimae.

DCCCXXX.

C. 992 Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. nunc 8. est enim initio mutilus, forma 4. maj. niceide, luculenteque scriptus, olim *Antonii Folch de Cardona* Archiep. *Valentini* ex O. S. F. qui *Senatus Italici* Praefes obiit *Viennae 1724.* et cum ejus Bibliotheca redemptus a *Carolo VI. Imp.* Liturgicus est, et *fol. 1.* e Ritu sacros Ordines conferendi nil amplius exhibet, quam ordinationem *Subdiaconi*, cujus prima verba: *archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili ac manutergium.* Dein sub Rubrica *Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

ca quadrata: *Ad Subdiaconum Ordinandum. Ordinatio Subdiaconi. Benedictio Subdiaconi*, sequuntur ea, quae legere est in *Sacramentario Gregoriano T. II. Liturgiae Rom. Ludov. Muratorii col. 421.* ita tamen, ut Noster omnia singulari numero efferat, et quaedam habeat, quae castigatiora videntur *Muratorianis*, non obstante ejus lectione varia. Ita melius: *De ipsis oblationibus*, quam: *De ipsis in oblationibus.* Melius: *putridum in sacrario*, quam: *putridum in sacramento.* Melius fortasse: *in substratorio*, quam: *in substentorio.* Melius: *aqua — debet uergi*, quam: *mergi.* Haec in prima; in tertia vero Rubrica five *Benedictione* melius: *Spiritus consilii*, quam: *auxilii*, et quaedam minutiora, quae variant. *Fol. 2. p. 1.* alia sed coeva currente manu: *In Assumptione Sanctae Mariae.* Nempe *Missa Gregoriana*, ut *l. cit. col. 114.* praevia tamen *Oratione: Concede nobis omnipotens deus ad beatæ mariæ semper uirginis gaudia eterna pertingere &c.* quae *Exemplo Muratorii* defuit; apud *Pamelium* tamen *Liturg. Eccl. Lat. T. II. p. 330.* reperitur pridie *Festi ad Vesperos* inscripta. Adest insuper *Praefatio*, quam cum apud Autores consultos ad hoc Festum non repererim, huc transferre visum est. *Qui nos mirabile misterium et inennarrabile sacramentum per uenerabilem mariam seruare docuisti. In qua manet intacta castitas. pudor integer. firma constancia. Nam in hoc se matrem domini fuisse cognouit. quia plus*

R

plus

plus gaudii contulit quam pudoris. (Pudor enim mansit intactus). Latatur enim quod uirgo concepit. quod celi dominum clausis portauit uisceribus. quod uirgo edidit partum. O magna clemencia deitatis. que uirum non cognouit. et mater est. et post filium uirgo est. Duobus enim gauisa est muneribus. Miratur quod peperit. latatur quod edidit redemptorem ihesum christum dominum nostrum. Certe illa, quam ad Annunciationem S. Mariae Pamelius, Muratoriusque referunt, non parum ab hac Praefatione abludit. Fol. eod. p. 2. littera quadrata luculenta aurea nitidissima: *In Nomine Domini Incipit Liber Sacramentorum De Circulo Anni A Sancto Gregorio Papa Romano Editus.* &c. Et $\chi\zeta\upsilon\sigma\omicron\gamma\alpha\phi\iota\alpha$ quidem eodem splendore continuatur 8. paginis usque ad verba Canonis: *cum famulo tuo papa nostro illo.* quae paginae non solum limbis vetere illo gustu deauratis et picturatis, verum etiam $\tau\omega$ VERE Praefationem inchoante ita auro coloribusque expresse gaudent, ut V totam paginam impleat et veluti ventre suo reliquas tres literas forma inusitata proprus quadrata ad perpendicularum collocatas contineat. Eadem ratione initium Canonis TE totam paginam occupat, littera E truncum literae T medium amplectente, ut nihil quidem elegantius illius aevi videri possit. Textus cum Muratoriano, ejusve variantibus proprus consentit, nisi, quod in verbis consecrationis Panis habet enim, ut hodie, et Formula

Memoriae Defunctorum a Librario in contextu neglecta ad marginem minutiore sed coaevo characterē subpleta est. Eodem modo, sed manu paullo recentiore adjectum est in Commemoratione Vivorum: *et antistite nostro et omnibus orthodoxis catholice atque apostolice fidei cultoribus.* Adfunt praeterea Glossae quaedam interlineares synonymicae, et ad marginem uberores expositiones dictorum in Canone, ut v. g. ad *Dominus Vobiscum* notatur: *Sacerdos orat salutando populum, ut clerus et populus participes sint pariter cum domino.* Ad: *Cum Spiritu tuo*, ita: *Responsio populi est, ut quemadmodum sacerdos orauit dominum esse cum illis: similiter sit cum spiritu sacerdotis ut secundum apostolum mens et spiritus noster unum sint.* *Psallam spiritu psallam et mente* &c. Ad $\tau\omega$ supplicii confessione citatur *Cassiodorus.* Commentaria porro haec paullo tardius adjecta videntur. Speciosum hoc Antiquitatis liturgicae Monumentum ad Ecclesiam Leodiensem quondam pervenisse ex eo arbitror, quod fol. 8. in Formula *Nobis quoque peccatoribus* inter nomen *Petri et Felicitatis* alia manu superscriptum est nomen *landberti* seu *Lamberti* Ep. Mart. *Traject.* quod nomen etiam in nota marginis fol. 6. p. 2. erasa rescriptum adparet, ubi in *Canone Apostolorum* et *martyrum* nomina recensentur.